




9445
= 9m









DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CATALEPSI.

46

QVAM
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S.S. Th.
Doctoris, Eiusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Primarii,
Ecclesiastæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,

NEC-NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, ut & Alma
Facultatis MEDICÆ Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subicit

MARCUS CLOOTHACK, Lierâ Frisus Oriental.

Ad diem 27 Octobris, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

Viro Spectatissimo

D^{NO}. LUPPO HAYEN,

Popinga Pharmacopæo Ex-
pertissimo, Reformatæ Eccle-
siæ Lieranæ Seniori Dignissi-
mo, Vitrico suo, Parentis ta-
men charissimi loco Filiali
semper amore & reverentiâ
colendo, honorando.

In grati animi signum exercitium
hocce Medicum, seque ipsum,
eo quo decet animo,

offert

MARCUS CLOOTHACK,

Author & Defendens.





DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CATALEPSI.

PRÆFATIO.



*S*iquidem in artis Medica palestrâ decur-
renti, ut βακείον Doctoratus reportet,
materiam quandam eligere, eamque (se-
cundum morem in Celeberrimo hocce
Athenæo receptum) publico subicere exa-
mini, incumbat, & mei doctoralem am-
bientis lauream erit officii, laudabilem
hanc sequi consuetudinem; verum en verò ut mihi lem-
matis ex tam fecundissimâ thematum practitorum segete
eligerem materiam Ambiguus diu hæsî, quibusnam po-
tissimum spicis falx immittenda foret; Donec tandem ca-
talepsis videbatur, morbus sanè inter paucos rarissimus,
qui, quàm miserè omnium fermè quotquot fuère, tam

A 2

Me.

Medicorum quàm Philosophorum torserit ingenia, quantasque investigatio causa hujus affectus pepererit molestias, illorum hâc de re scripta satis abundè ostendunt; Alter enim causatur frigidam & siccam cerebri intemperiem, alter spiritum quendam congelantem, alter verò causam effinxit haud minus absurdam: Nostrum interim sicuti hominis sapientia & veritatis percupidi officium est, non majorum antiquitate devinciri, sed veritate solâ, non auctoritate persuaderi sed evidenti tantummodo ratione; Hac autem longius persequi ratio insitanti nostri non permittit, sufficit catalepsi esse cujus considerationem theoreticam magis quàm practicam, ejusque non pro voluntate aut materie dignitate, sed pro viribus ingenique tenuitate aggredi est animus, antiquo fretus proverbio

In magnis voluisse sat est.

Captis interim nostris T. O. M. benignissimè annuat.

T H E S I S I.

Catalepsi (ut à nominis interpretatione initium capiamus) Authoribus quibusdam dicitur *κατοχή*, à Galeno *κατοχή* & *κατάληψις* fuit appellata, quæ vocabula idem ferè significant, *κατοχή* enim à *κατέχω* detineo, uti *κατάληψις* à *κατάλαμβάνω* deprehendo, hinc Latinis *detentio*, *deprehensio*, Aetius autem Dioscorides & Hollerius hunc affectum *ἀφρονία* dixerunt, nos verò res magis quam verba facientes, ad ipsam definitionem nos accingimus.

I I.

Affectus itaque hic nihil aliud est, quàm subita hominis apprehensio, ita, ut homo qui catalepsi corripitur marmorea instar statuae quasi rigidus evadat, eundem constrictum servans corporis habitum, quem eo habebat momentò, cum morbo corripere, qui, sive jaceat oclusis oculis, sive stet respiciens, quod agens tum erat in eo statu immotus permanet P. Forest.

T. I.

T. 1. l. 10. obs. 41. in schol. Alii, quamvis & motus & loquelæ expertes, adstantium tamen audivere & postmodum retulere sermones, uti de condiscipulo suo refert Galen. in comm. in 1. prorrh. S. 2. part. 56. is quoque eodem tempore quo loqueremur audire se dixit, quanquam non evidenter clareque, nonnulla item & memoriæ tenens referebat, præsentisque omnes se conspiciere dixit, sed neque loqui neque ullum membrum movere; Alii, quamvis nec audiret neque cerneret facilis tamen inerat respiratio, & ori si quid inferebatur promptè vorabat, è lectulo sublatus solus insistebat impulsusque incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur illic quasi fixum vel stabile permanebat, expressam quandam dixisset larvam; aut arte progredientem statuam Fernel. l. 3. de morb. part. cap. 2.

I I I.

Verum antequam horum phænomenon explanationem aggressuri, in antecessum quædam de integro hominis statu prælibare lubet, de illo videt: in quo menti nostræ motus corpori nostro impressi commode offerri queunt; itidem in quo anima pro horum motuum diversitate spiritus animales in musculos determinare valet, ad certas in his vel illis corporis partibus producendas actiones, ut sic in sequenti faciliori negotio labefactum hunc statum, in quo animæ liberum non est ex voto functiones suas in corpore exercere, detegamus, datoque prognostico, curam licet exiguam nihilominus sufficientem adjungamus.

I V.

Alimenta igitur salivâ subacta, & ope masticationis ad faciliorem suscipiendam fermentationem præparata per fauces ad œsophagum, indeque in universalis microcosmi promum condum detruduntur, ubi liquore quodam ab arteriis gastricis allato, ac à glandulis intra ventriculi tunicas sitis secreto, & per poros in ventriculi cavitatem exsudante denuo permiscuntur, hisce accedunt reliquiæ à præcessâ chylicatione adhuc residuæ; quæ ergo magna particularum heterogenitas, heterogeniis admodum constans poris, non potest non, quin ætherem transmittat valde heterogeneum, cujus continuo transfluxu particulæ variis motibus concussæ, blandam quandam ineunt pugnam,

quâ mediante, ea quæ in ventriculum ingesta, ita à se invicem disjunguntur, attenuantur, & dividuntur, ut genuinum futuræ nutritionis rudimentum describant, ad quod tamen negotium facilitandum fons calor & actio partium circumjacentium haud parum contribuunt, nec non hujus quoque ope liquidior pars ulterius per pylorum in intestinalem propellitur ductum, unde subtilior statim portio ab hiantibus vasorum lacteorum orificiis excepta ad commune chyli receptaculum defertur, ubi iterum ab effluenti undiquaque lymphâ fluidior facta, à pressione circumjacentium viscerum, ab insequente suffulta chylo, valvulisque ne relabatur impredientibus, per ductum thoracicum Pecquetianum dictum, reliquum iter in venam subclaviam sinistram conficere pergit, ut inde mox cum venoso sanguine per descendentem venæ cavæ truncum ad dextrum cordis ventriculum deferatur.

V.

Chylus itaque hoc modo in dextrum cordis thalamum delatus, novoque hospiti sanguini sc. à partibus refluxo junctus, propter novam particularum pororumque diversitatem, diversumque ætherem hosce poros transeuntem, novâ iterum fit particularum lucta, ut thesi præcedenti dictum, quamvis hic sit major, siquidem particulae jam magis attenuatae & consequenter respectu suæ molis plus habentes superficiei, facilius ab æthere, celerrimo cum impetu hunc porum pervadente, & in alium suæ figuræ ac quantitati minus convenientem irruente, ab invicem removentur ac divelluntur, donec tandem tam angusto contineri spatio nesciæ, non possunt non, quin dextrum hunc ventriculum deferendo pulmonalem subeant arteriam, quam, dum pererrat sanguis, sal quidam aëreo-nitrosus tanquam nobile aliquod fermentum, per poros vasorum intro spectantes huic denuo communicatur, quo imprægnatus per venam pulmonalem in sinistrum cordis ventriculum tendit, ubi ex tantâ diversarum particularum concurrentiâ, tantam exoriri effervescentiam quæ apta nata omnia in subtilem redigendi pollinem, nemo mirabitur.

V I.

Hunc itaque pollinem cum Authoribus sanguinem vocamus jam jam per universum corpus distribuendum, sanguis enim
hic

hic sinistram deferens cordis ventriculum, quod vel proprio ejus motu, vel cordis ab influentibus spiritibus contractione, magnam statim intrat arteriam, ubi pars ejus crassior minusque habens votus, vel per divaricationes aortæ laterales ad brachia, vel per descendentem aortæ truncum ejusque ramos, ad inferiores corporis partes nutriendas, ulterius propellitur; subtilior verò magisque defæcata ejus pars, rectâ lineâ per arterias carotides & cervicales ipsum petit cerebrum, impetumque faciens in arteriarum tunicas, præcipuè in plexum choroïdeum subtilissimas & maxime agiles emittit particulas, à Medicis spiritus animales vocatas, qui secundum mentis beneplacitum ex certis cogitationibus, quasi totidem militum turmæ seu manipuli distincti, aut ad hæc aut ad illa corporis claustra amandentur, & vice versâ quasi totidem sint excubitores in speculâ constituti, qui, quodcunque notabile in œconomia corporis occurrat, id menti denuncient, & sic illa sola sentit, seu judicat occasione motuum organi corporei de rebus extra nos positis; id enim sensus denotat nomen. Des-Cartes in resp. sextâ art. 9.

V I I.

Anatomicam ac exactam cerebri hæc tradere structuram, haud quidem inconcinnum foret, verum brevitati studens ad Willis: aliosve Anatomicorum Coryphæos hæc in re satis accuratos L. B. dimitto; Observant tamen etiam Profectores, nervos à cerebro & utroque medullæ spinalis trunco oriundos in quascunque totius corporis divaricari partes, & semitas esse particulares in singulas animati corporis regiones protensas, ita ut cerebrum in totidem abire videatur funiculos, fibrillæ enim illius in unicam quasi colliguntur fasciam ut sint unius instar trunci, quamvis revera toto tractu sint singulares: pariter ac netrices à colo cum fila trahunt girgillo, licet plurimas combinent lini fibras, & combinatas se invicem contorqueant in filum, singula filamenta ut ut intorta, tamen quod in colo habent, separatum initium in progressu serviant: Nervi è cranio exeuntes analogum quid referunt, sunt enim quasi totidem in filum compactæ lini fibræ, & communi funiculo ad musculum cum pervenere, in similes iterum divaricantur fibrillas, ita ut ex infinitis illis per longum & oblique circumductis cutis com-

bi-



binata sit teste microscopio, & faciant reticulare corpus quot post cuticulam sese obtulit Malpighio Barthol. anatom. l. 1. c. 2. hæc docet Anatome.

V I I I.

In œconomiâ verò animalis ulterius progressi Philosophi, videre illas ut ut intortas variis mœandris fibrillas teretes sibi incumbere nescias, quin alveolos circa se relinquunt, & cannae instar indicæ ubique porosos ac pervios esse Willif. Anat. Cerebr. cap. 19. Non autem illæ fibræ in cerebro indifferenter oriuntur (de iis liquor quæ directo mentis subsunt imperio) sed in illis iisdem cavitatibus, quæ in cerebri interioribus sunt recessibus, spirituum emporiis, & sub quorum fornice plexus suspenditur choroïdes, spirituum officina, è quo in ventriculos tanquam amplissimum feruntur campum, ut sub concamerato hoc fornice, quasi totidem succenturiati farissis antesignanos premant velites ad quemlibet sensorii nutum, vel ab iis premantur: quod fieri certè nequit nisi in conterminis his partibus situm sit corpusculum, quod hos nervorum respiciat tubulos, quod mobile sit, & quod ad futuros usus continuo præsententes spiritus habeat ministros, quodque quibuslibet nervorum tremoribus expositum sit, in quo resideat mens, (sit venia verbo) quæ luctantes illos spiritus premat imperio, atque thes. vi. de illorum iudicet motibus.

I X.

Sita autem est ad ortum foraminis, quod nobilis & medius ventriculus commune habent, glandula plexus choroïdei, pinealis dicta, quam inter testes nervus utrimque firmat funiculus Th. Barthol. anat. l. 3. de capite cap. 6. quæ unica est, & mobilis in medio fontis & originis spirituum De la Forge de mente humanâ cap. 15. illa igitur erit sensorium commune, C. ab Hogelande folium mentis dictum, illa erit in quâ mens & impressiones factas percipiet, & cujus in spirituum hæc cum omni indifferentiâ motorum determinatione utetur ministerio. Imò cum nervi (quorum fibrarum series ordinatas & quasi loculos subeunt animales spiritus, quasque fibras chordarum instar tendunt) ab alterâ extremitate fuerint moti, è vestigio quoque cerebri trahuntur partes, & sic in spiritibus motuum fiet diversitas: Cum autem glandula ad instar globulorum ab aquâ

aquâ è fonticulo saliente in aëre detentorum à spiritibus elevata teneatur, fieri certè nequit, quin ut globulos illos levissimus ventus dejicere, ita levissima conarion afficere possit radiatio: Ita ut minimæ mutationes quæ accidunt cursui spirituum multum inserviant mutandis motibus hujus glandulæ. Def-Cartes de passion. an. part. 1. art. 31.

X.

Prolixus & multus ut sim in motibus membrorum explicandis è re non est, Mathematicè satis illos demonstrat G. Charleton in œconom. animal. exerc. xi. impræsentiarum annotasse sufficiat, humorum per partes circulantium indifferentis motus æquilibrium tolli ab affluentibus per tubulos nervorum spiritibus, eò à mutatione conarii ex imperio mentis facta, determinatis, quo sublato plenis velis, remisque ad oppositum partis tendunt musculum, illum tanquam aura spirans vela inflant, inflatum contrahunt, & sic mens tot suffulta organis, tot cincta satellitibus Author est, ut quilibet corpus induat figuras, jam stet, jam sedeat, jam ambulet &c. & donec eodem determinantur spiritus modo, idem erit corporis situs, nec poterit mutari nisi mutata determinatione.

X I.

Nec etiam inficias irem, quamvis mens toti suæ unita sit corpori, quatenus mutuus organorum respectus id quodammodo facit indivisibile, multa tamen esse, quæ in illo, vel mente non attendente, vel quæ licet attendat advertere tamen nequit, fiunt: Ut quæ automatica saltem sunt, & mechanicè solum tanquam anima in corpore præsens non esset (ut ad vivum in brutis videre est) explicari debent, perperam ac veteres fecere. Talia sunt chylicatio, circulatio sanguinis, nutritio, respiratio, & deglutitio, quæ ultima duo Nob. Cartes. de homine §. 11. & 12. accuratissimè explicat, quorsum brevitatè gratiâ lectorem relego, nec non egregium de respiratione D. J. Schwammerdamii videat tractatum.

X I I.

Ventriculos Thef. viii. diximus spirituum esse promptuaria, sed in contrarium magna eruditorum cohors deflectit: Nobis verò videntur excrementa quæ in cerebri nutritione segregantur, seu pituitam in cerebro genitam? Colligere & per

B

mea-

meatum ad infundibulum mittere, inquit C. Bauhinus anat. 1. 3. c. 13. excrementorum receptacula Barthol. anat. 1. 3. cap. 6. de capite: Verum si liceat nobis cavitatum evolvere generationem, affatim à priori nostram patebit assertum. Cogitandum enim est in principio generationis cerebrum nihil aliud fuisse, quam viscidam aquam, quæ sanè in medullis in fornices excavari non potuit: lubricis enim & levibus exhalantibus particulis crassa remanet materia, quæ in unum compacta informe dabit chaos, debuit itaque alia extitisse vis, quæ illas & efformaret & nunc efformat speluncas; Quicquid verò rimemur non occurrit alia nisi spiritus vi exsiliantes è vasis plexus choroidei singulis arteriarum pulsibus: Non negabo tamen idem per totam fieri cerebri molem, cum per totum dispersa sunt capillaria vasa, non tamen erit informis quam formabunt cavitatem, sed vias saltè suæ figuræ & magnitudini appropriatas, quæ nobis tubulorum veniunt nomine, dabunt.

X I I I.

Plexus autem ille reticularis ex arteriis, quibus constat ferè innumeris, integras catervatim emittit spirituum turmas, qui junctis viribus exsiliantes materiam sibi obviam remove, sed quia aquea, denuo collapsa & formata oblitterata cavitatis. Cum verò paulatim exiccaretur cerebrum, spiritus illam sensim ac sensim magis removerunt, ut cum cerebro cum tempore magis & magis exiccatum, aliquam fuerit nactum consistentiam, difficilius & difficilius potuit relabi, seu materia subtilis non amplius sat habuerit roboris, ad insectendas & aggrandiendas illius particulas, unde fit ut unæ aliis impositæ sistantur; donec tandem constantem potuerint servare situm ventriculi, & jam sint instar organi musici arcæ, quæ ventum tibiis insufflandum exipit, & ut secretum id, ut vocant semper repletum est vento, fistulæ tamen omnes æqualiter non sonant, sed pro ut per harum illarumve aperta fertur orificia aër diversimodè modulatur, simili modo spiritus, jugiter in cerebri manantes ventriculos, non omnes simul nervorum subeant tibias, sed pro ut spiritus ex arteriis communiis, certâ ratione nutantis egredientes, peculiarem fecerint radiationem, qualis ponè navigium in fluvio videre est, spiritus horum potius quam illorum determinabuntur,

XIV. Qui-

X I V.

Quibus ita prælibatis, nobis non erit difficile phænomeni dare explicationem, quod immoti in eodem maneant statu, idemque membrorum perseveret situs: Verùm hoc antequam faciamus, hic paululum, deviare lubet, & videre, num anima, sanguis, spiritusve animales nòxæ omnino sint expertes.

X V.

Quod ad animam attinet illam nullo modo accusari posse existimamus, quoniam illa non tantum fertur ad statum suum maximè semper beandum, ac proinde ad imperium liberum quod in corpus nacta est, tuendum; quod hoc in casu in triumphum ducitur: sed insuper etiam, quia si illa hujus mali origo foret, istius conscia esse deberet telaque proinde prævisa forent, cui experientia reluctatur: Hominem enim subito & nihil minus quam id providentem corripit, id annotante præter alios Fernelio l. 3. demorb. part. cap. 2. qui de hoc morbo disserens, inquit. Unus dum literis & chartis sedulo incumberet, repente hoc vitio percussus; ita quidem obrigit &c.

X V I.

Ex quibus igitur dum constat animam insimulari, absurdum & nefas esse; videamus an sanguis argui queat, qui cum nulum possit committere delictum, nisi motu, quantitate, & qualitate, illaque hoc in casu non peccent, non nisi summâ injuria accusaretur; Pulsus in paroxifmo idem qui ante eum, docet motum sanguinis nec imminutum nec auctum esse, adhæc neque eum nimîâ copiâ, neque inopiâ, aut qualitate sive in temperie laborare, docemur ex eo: quòd Authores de hoc morbo agentes, non modo nullam eorum mentionem injiciant, sed etiam ejus essentialia attributa referentes, correptos fuisse eos qui integrâ valetudine fruerentur; notant, uti videre est apud Holler. comment. ad aphor. 13. libr. 5. coac. Hippocr. vidi inquit qui & subito cum integerrimâ valetudine fruerentur hoc modo deprehensi, ut nisi interrogati non respondissent, non animadverteretur vitium, ab accumbentibus in mensa. Imo referente Celeberrimo D. Dolæo in suâ Encyclop. quidam dum inter pocula rixaretur, hoc morbo correptus fuit.

X V I I.

Sic chymicorum nonnulli, cum viderent alcohol vini ab af-

fuso sp. fal. armoniaci, aut urinæ rectificato coagulari in massam nivis instar albam; simile quid in igneis spiritibus animalibus fieri concepere, & sic res seriatim connectentes fieri catalepsi somniarunt; Neque minus absurda excogitarunt, qui congelantem quendam imaginati sunt spiritum, à vaporibus melancholicis proveniente, à quo spiritus animales per occultam aliquam qualitatem figerentur, & immobiles redderentur, id est congelarentur, quod planè alterius pensis res est, congelatos enim restituere homines, hoc opus hic labor est, sunt enim certi mortis Candidati; spiritus insuper non esse congelatos aperte satis testatur respiratio, quæ in hoc affectu libera & proinde suam quoque exigit causam; secundum illud axioma, quod sc. nihil fiat sine causa, quæ cum alia assignari nequeat, quàm quòd spiritus animales in partes respiratori inservientes influant, easque moveant, necessario sequitur spiritus animales congelatos esse non posse.

X V I I I.

Sed è diverticulo in viam redeamus, videamusque utrumne causam habeamus rei veritati, magis convenientem, & ut opinor ex sequentibus patebit; mens enim cum functionibus ob-eundis intenta, spiritus, velut totidem aquarum rivus à perenni fonte scaturientes vivâ scaturigine, quòd pulsus integer indicat, ad hos illòsve circulantium humorum vortices, ut tollat æquilibrium, determinat; Si de fortunâ vasculorum plexus choroidei pori nimium aperiuntur, ut effundant humorem pituitosum, qui in glandulæ funiculos vel illam circumcirca resideat, ut fiat immobilis, tunc ipso illo instanti eò in situ membra manebunt, in quo erant cum glandula ita motum spirituum determinaret, & quàm diu ejus idem erit situs, non possunt non simili spiritus influere modo; & sic, sive ster, sive jaceat, in eo statu immotus permanet, cum factus est catalepticus. Si moueas brachium sursum, elevatum manebit, Si protrudas passus aliquot incedet; quia causa externa, quòd catarrhus denegat glandulæ motum spirituum aliòs nervi tubulos aperiendo aliter determinat.

X I X.

Audivere igitur adstantium sermones, quòd tremulus fibrillarum motus reciprocatione suâ spiritus quassaverit & sic ad glan-

glandulam delatus magis illam presserit. Quam pressionem nisi in totum catarrhus illam circum-vallaverit, mens è vestigio sentiet, si præsertim id vestigium à specie satis vividâ satisque distinctâ & efficaci (quia hîc mentis attentio circa fortiorem quandam occupata est causam) ad obligandam animam exhibeatur unde th. 2. Galenicus ille æger minus evidenter undulatorium aëris motum vestigium sui impressisse glandulæ, postea commemoravit. Audita verò aliqui ægri postea retulère, quod menti rei semel perceptæ plica cerebri manserit familiaris; ut postea denuo Domina determinationis glandulæ facta, familiariter illa vestigia relegat, sicque rem perceptam insequens testetur commemoratio. Si vero in totum catarrhus complectatur glandulam, ille quemvis arcebit motum & sic quoque omnes ab istis oriundas motibus confusas cogitationes, quos sensus vocamus. Et quamvis sic ab objectis externis cerebri impressa relinquuntur vestigia, ad reminiscendum tamen illa neutiquam apta erunt: Aliud enim est percipere aliquid secundâ vice, & aliud animadvertere id pro secundâ vice nos percipere De la Forge de mente hum. cap. 19.

X X.

Quicquid verò insertum est ori deglutiunt, quoniam deglutitio sit ex numero eorum quæ mechanice in corpore fiunt; Pari modo facile respirant: Respiratio enim aliæque hujusmodi ordinariæ & naturales actiones a spiritibus dependentes similes sunt motibus horologii aut molæ, quorum motus jugi aquæ defluxu continuantur Des Cartes de homin. §. 10. sunt enim ex iis quæ vel repugnante anima tamen fiunt, eodem modo pugnum amici quamvis præmoniti nostris imminere oculis videmus, non possumus non quin vel inviti retrahamus caput, aut oculis niçtemus. Quin imò ea quæ nobis noxia sunt repellimus, aut etiam ictus quibus petimur declinamus, tam inconsultâ ratione, ut quamvis deditâ operâ vellemus manus nostras capiti non prætere cum cadimus, tamen non esset penes nos id non facere Des Cartes Epist. 54. part. 1.

X X I.

Visum hæcenus in morbo hoc nihil aliud deesse quam determinationis varietatem, spiritus enim generari sufficientes in-



teger testis est pulsus; In nervos influere idem membrorum indicat situs. Vitum insuper catarrhum forte fortunâ ex poris arteriarum circa glandulam resedisse, atque sic eam in momento immotam fecisse, quare non opus est diu in procatarrhicas & antecedentes investigare causas, citò enim invadit hominem, si jam exiguus ille catarrhus in aliquem ventriculorum diffluat. Catochus subito dissipatus erit; ita Capo de Vacca vidit Monacham, quæ incidit in catalepsi in ut brachia curva in eodem manerent statu, & affectio tantum per duas horas durabat. Forest. Obs. Tom. 1. obs. 42. in schol.

X X I I.

Quod malum nisi protinus ac brevi tollatur, aut sponte cesset, verendum est, ne affectus sæpius recurrat; quoniam porò longâ morâ figuræ præternaturali assuefunt similemque ea propter materiam peccantem facile transmittunt, quæ materia si longas præterea moras circa glandulam nequit, fatuitatem producere poterit, laxando ac corrumpendo fibrillas sive unum alterumve glandulæ funiculum, quare illa hinc illinc subsiliendo confusè per cerebrum vagabitur & in hæc vel illa incidens vestigia, menti illa repræsentabit, quæ illa nequendo, facit phænomenon, quod fatuitas dicitur & quidem insanabile.

X X I I I.

Cura igitur, nisi sponte evanescat, uti plerumque contingit quantò ocysus est instituenda; Præsertim autem in ipso paroxysmo, clamoribus, pilorumque vellicationibus, studendum quoque ut visciditas glandulam cingens ab ea amoveatur, quod fieri poterit sales volatiles naribus admovendo ut spir. sal. armoniaci, volatile succini, urinæ, CC, spir. fuligin., aq. Regi-næ Hungariæ, cephalicam Caroli, tincturam castorei, & similia; quæ si adjumento non fuerint, ad sternutantia perveniendum, in nares sufflando elleborum album, petum, pyrethrum, euphorbium similiave; sudorifera potentissima deinde propinare-mus ex mineralibus, v. gr. Bezoard. mineral. lunar. solar. anti-mon. diaphor. &c. quæ apud Authores videri possunt, & porrò ex sale quodam sudorifico: Extra paroxysmum nulla in usum revocamus remedia, egregium sc. esset cum ille catarrhus è sanissimum

nissimo possit expelli sanguine, medicamentis illum sanguinem
corrumpere, ut miseria hominis postea indies Medici tectetur
ignorantiam, quare discusso paroxysmo sit curæ æque ac hujus
disputationis

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

*Qui glandulam pinealem animæ sedem sta-
tuit; mentis essentiam non intelligit.*

II.

*In plantis circulum fieri humoris nutrititii,
asserimus.*

III.

*Pericardium, membranam pleuram, alias-
que in corpore membranas, glandulosas
esse putamus.*

IV.

*Homo generatur ex ovo muliebri, non verò
ex animalculo in semine virili latitante.*

V. *Quam*

V.
*Quamvis nulla virilis genitura ad sobo-
lem procreandum sit apta, quin animal-
cula contineat.*

V I.

*In Paracenthesi, vel pus (in Empyemate)
vel aqua (in hydrope ascite) ne nimis
subito emittantur; prospiciendum, tutius
exim est interpolatis hoc fieri vicibus.*

V I I.

*In omni effervescentiâ non est concursus a-
cidi & Alkali.*

V I I.

*Amara in destillatione per alembicum non
ascendant.*

F I N I S.










00 A 6386

ULB Halle 3
002 912 18X


sb.





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

CATALEPSI.

46

QVAM
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S.S. Th.

Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.

Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Primarii,

Ecclesiasticæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,

NEC-NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, ut & Alme
Facultatis MEDICÆ Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subicit

MARCUS CLOOTHACK, Lierâ Frisius Oriental.

Ad diem 27 Octobris, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

